



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Quod Lutherus malè egerit, quemadmodum fructus eius declarant: & vnde illius impostura facilè aduertatur. Cap. XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Actus monachorum indifferentes vnde grati fiant Deo.

Luc. 2.

ipsa sua barba commoneantur, quod frater religiosus non debet hominum applausus querere, aut nitidus & pulcher velle videri, sed simplex & mundo despectus. Quando igitur frater istam consuetudinem siue recte promulgatam constitutionem suae regulae per obedientiam in se recipit, & barbam gerit, vt suam obedientiam propter Deum perficiat, quid ni id gratum sit Deo, qui causa & finis est, propter quem omnis fit obedientia? Ita etiam alios ritus omnes in regula, siue statutis expressos aestimare debes, Qui ex se neque boni neque mali sunt, sed propter finem bonum, ob quem instituti sunt, & ex bona intentione, qua obseruantur, fiunt Deo (qui vltimus eorum omnium, quae tum agimus, tum omittimus est finis) accepti & grati per obedientiam, qua se demittit homo & egreditur, & se homini propter Deum subicit sicut se Deus propter homines deiecit & hominibus voluit esse subiectus. *MILES.* Animaduerto operis siue malitiam, siue bonitatem ex corde proficisci. *M. O.* Recte intellexisti. Nunc deinceps dicam tibi, vt alia omnia monachorum instituta & consuetudines eo spectent, quo Euangelium rite obseruetur, & diuinæ charitatis perfectio obtineatur.

Quod Lutherus male egerit, quemadmodum fructus eius decarant: & vnde illius impostura facile aduertatur.

Caput XII.

Miles.

Equidem ex paucis multa intellexi, his iam contentus ero. *MON.* Perfectio de re monastica multa satis audiisti. Iam porro etiam de tuo cogitares statu, teque conuerteres, & vitam in melius commutares, dum adhuc sanus es, tranquillamque conscientiam redderes. *MIL.* Nunquam meliori, quam nunc tranquillitate & quiete perfruitus sum, Habebam Parochum qui me grauabat, & absoluere nolebat, quod extra aedes meas dormiebam, donec iam tandem ex Euangelio doctus sum, non esse peccatum, quando expectare nequeo, dum vxor mea ex puerperio surgat, aut alioqui aptior fiat: siquidem saepe est infirma, & ego crebro sum peregre. *MON.* Quis caecum non hoc in medium produxit Euangelium, vt de eo Evangelistae non scriperint, & sancti patres nesciuerint? *MIL.* Eximius doctor Lutherus, qui nos consolatur, & dicit, quod caste viuere nequeamus. Ille scripturarum mysteria in apertum nobis protulit, quae tam diu delituerunt. *MON.* Credo propterea tanto tempore sub scamno latuisse, quia non sunt Euangelium Christi. Proh pudeat vos huius Mahumeticæ doctrinæ. Iam si tua coniunx quoque isto pacto faceret, videretur ne tibi bonam doctrinam sequuta esset? *MILES.* Perfectio vel sententia, dum peregre eram id cogitavi, & placet mihi, quod Catholico adhæret dogmati. *MON.* Hoc si in tua vxore ipse ceu bonum probas, & ab ea fidem exigis ipsi quoque serua vicissim fidem, & flagitiosum dogma desere. *MIL.* Si recte consistere (quod sexennio nunquam feci) deberem, perspicio multa, tamen nullus mihi contra Lutherum concionetur, quæ mihi rectæ rationi neutiquam consentanea videtur. *MON.* Cur igitur ipsi acquiescis? *MIL.* Ita ne huius imprudens es? Cur Eva serpenti acquiescebat? quare multi homines diabolo obtemperant? non libenter te-

Lutheri dogma vt cum Mahumetico consentiat

Cur plerique Lutheri dogma bus acquiescant.

iuno,

iuno, inuitus oro, ingratis confiteor, non libenter alterius voluntati submittor, templum ingredi non est mihi volupe, audire sacrum mihi est fastidiosum, vesperi diu vigilare, potare & inebriari, vt trunci in moré humi iaceam, & neq Gallicè, neq Latine loq nòrim, mihi in delicijs est, & mane non possum non ad multum diem stertere. Et vt summam dicam, huiusmodi & alius nocturnus ludus vita mea est: Qui placet tibi, estne hoc genus instituti commendabile? *MON.* Certè mirificum tenes institutum monastico proffus repugnans, iam ne tibi videor rectè dixisse superius, monasticum propositum in suis canonibus aliam religiosam vitam præscribere, quã mihi de te recensuisti? & ided ipsi peculiarem quoque amictum in signum & commonitionem etiam discriminis vitæ spiritualis assignat. *MIL.* Ecquid tibi de mea vita videtur? *MON.* De ea penes te iudicium esto, vtrum ea Euangelica sit, atq nò vel tu doctrinæ Christi operibus propinquior sis vel monastica vitæ professores, quos tu contemnis.

Num bona opera meritoria sint, & beatitudinis præmium à Deo recipient.

Caput XIII.

Miles.

VOS vestris operibus sanctitatem vobis vendicatis: at mihi videtur esse amentia, quod vosmet ieiunijs multis precibus alijsq; (vt vos dicitis) bonis operibus affligitis, quibus à Domino iustro cælum mercari vultis, tanquam Dominus institutor sit cum operibus nostra nulla sint, nihilq; meriti habeant, & ided nullo digna præmio sint, sicut scriptum habetur, & nostri nos concionatores docent: imò quasi pannus menstruata: vniuersæ iustitiæ nostræ. Quapropter ignominia grandiq; ingratitude Deus afficitur, quando vestris vos operibus cælum meritorios iactare vultis: quorsum ergo gratia Dei indigetis? adedq; sane frustra Christus passus est. *MONACHVS.* Multa hic mihi in vno iure simul intriuisi: at de singulis tamen priuatim tibi respondere institui. *MILES.* Magnam sententiarum congeriem tibi ex scripturis proferrem ad meorum confirmationem dictorum si penes me libellum meum breui Moguntia excusum haberem. *MO.* Quid scripturarum producturus esses sat scio, & libellum ipsum non ignoro: scripturæ quidem sacræ ne vnum pilum tibi labefectauero: in suo scriptura vigore & sensu, quo dicta est, manet. Sed sensus, in quem detorquere scripturam vis, aut quod tu tibi similes ex scriptura concludere & inferre vultis contra mentem & sententiam scripturarum, non consistet vobis. Quandoquidem contra tuam vestrorumq; concinatorum voluntatem, imò velis nolis, bonis laudem & encomium operibus concedas oportet. *MILES.* Non ex toto bona opera improbamus, sed nullum meritum & mercedem à Deo habitura asserimus. *MONACHVS.* Quando de bonis operibus loquimur, quid bona opera sint, minime ambiguum est. Nunc porro bona opera meritoria esse vel inuitus concedas oportet, hoc est, quod per bona opera apud Deum mereri possimus, & quod iisdem bonis operibus sempiternæ vitæ præmium Deus largiatur: ac nihilominus saluæ & illæ tibi omnes sacræ scripturæ sententiæ permanebunt, quæ quidem gratiam Dei comendant, & nostram absque Deo

Eq. 64.

Hæretici scripturæ diuinæ contortores.

Opera bona meritoria.

Deo